

Sophocles Philoct. 182. et tandem Euripides Hec. 425. In Philoctete aut mutato duarum vocularum ordine lege, ἄρ' οὐ, aut dele particulam negantem. Sed illud, opinor, verius. Quanquam in hisce interrogandi formulis negantem particulam pro arbitrio vel addunt vel omittunt Tragici. Œd. T. 822. ἄρ' ἔφυν κακός; Ἄρ' οὐχὶ πᾶς ἀναγνος;

In fragmento νόμον ἔχει quivis legendum viderit.

In choris et melicis systematibus, quæ librarii et editores pro arbitrio distribuunt, duas sum potissimum regulas secutus. Primo curavi, ut quodque carmen ad nota et lyricis poëtis usitata, si facile fieri posset, versuum genera redigeretur; deinde, ut eadem aut similis versuum species quam sæpissime recurreret. Hujus divisionis exemplum vide in hac fabula 937. 938. 942. Ejus generis versus plures in primo Ajacis Sophoclei choro reperiuntur. Optandum quidem erat, ut Strophæ Antistrophe ubique accurate responderet. Sed cum librarii in facillimis metrorum generibus toties et tam turpiter peccarint, quid in paullo reconditioribus fecisse putabimus, præsertim ubi ad metri difficultatem styli obscuritas accedat? Cautius igitur in hac parte me gessi, et quædam intacta reliqui, in quibus tamen errorem latere posse suspicatus sim. Hoc semel observandum est, nihil tam frequenter in librarios cadere, quam verborum ordinem immutare. Hunc errorem illi quidem, ubi animadverterunt, aliquando literis numeralibus indicant. Sed has notas ii, qui postea codicem exscribunt, dum ad finem operis properant, sæpe negligunt. Tutissima proinde